Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0002-4

# ICONES

*Seu*

# GENVINÆ ET EXPRESSÆ DELINEATIONES OMNIVM MEMORABILIVM,

QVÆ IN HAC OCTAVA INDIÆ ORIENTALIS PARTE annotata ſunt, varias ſimul populorum in Ternate, Patane, Cande & aliis locis habitantium ceremonias, mores, habitusque ob oculos ponentes,

*ACCVRATO STVDIO ET OPERA IN æs inciſæ, & ſtudioſo nouarum rerum Lectori communicatæ exhibitæque,*

*A*

IOANNE THEODORICO ET IOANNE ISRAELE DE BRY, FRATRIBVS GERMANIS.

FRANCOFORTI,
*In Officina Typographica* WOLFGANGI RICHTERI.
M. DC. VII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0004-5

I.

# DELINEATIO CONVIVII A TERNATENSIVM REGE Generali Neccio exhibiti.

*CVm Hollandi ad Ternatem Inſulam, quæ ad Molucas pertinet, duabus nauibus appuliſſent, à Rege eius ſplendido admodum conuiuio ſunt excepti, qui ſuperiori tabulæ loco in lectulo regium in morem gemmis & auro nitente holoſericoq; conſtrato conſidens, ad vtrumq; menſæ latus aſſidentes ſibi Generalem Neccium & Conſiliarios Subpræfectosq; eius habuit, & hucusq; quidem menſa illa eleganti mappa & rotundis orbiculis inſtrata fuit, poſt illos autem ſedentes reliqui nauium miniſtri partem menſæ folijs & herbis virentibus conſtratam occuparunt. Menſa autem ipſa vna cum lectulo in theatro quodam nonnihil à terra eleuato conſtituta fuit. Aſtabant ei Regis filij cum Nobilibus alijs menſæ miniſtrantes. Durante autem prandio, Moluc enſes incolæ palæſtram exercere & omnis generis ludos conuiuis exhibere cogebantur.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0005-1

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0006-7

## II.
## DELINEATIO PISCATVRÆ TERNATENSIS.

INcolæ Ternatenſes duos habent capiendi piſces modos, quos tanquam inſolitos annotare libuit. Primus modus eſt huiusmodi: Bini piſcatores cum ſcapha in mare nocturno tempore prouecti operas ita inter ſe partiuntur, vt alter ſedens ſcapham dirigat & impellat, alter vero præacutum manibus lignum vel arundinem tenens, natantes in aqua piſces obſeruat, magnaq; celeritate traiectos in ſcapham colligit. Alter vero modus ita habet: Ad ripam fluminis conſtituti herbarum vel muſci manipulum funiculo colligatum in flumen quàm poſſunt longiſſime, extremitate funiculi in manibus retenta, abijciunt, cumque piſces eſcam ſubeſſe rati muſco huic adhærere ex commotione funiculi depræhendunt, extemplo funiculum attrahunt, piſcibusque muſco implicatis ita potiuntur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0007-2

u. Landesbibliothek Halle

## III.
## DELINEATIO PVNIENTIVM ADVLTERIA IN INSVLA PATANE.

*MOs eſt apud Patanios coniugium venerari & illibatum matrimonii honorem tam ſanctè conſeruare, vt ſi qua in adulterio deprehendatur, mortem euitare non poſſit, ſupplicium vel ipſis parentibus vel cognatis proximis de ea ſumentibus. Cuius quidem rei exemplum Hollandis exhibitum eſt: cum enim illi inter eos verſarentur, accidit vt iuuencula quædam in adulterio deprehenſa ad primarium quendam virum parentem ſuum deferretur. Is igitur conuocatis ſtatim conſanguineis & amicis omnibus, delictum filiæ aperuit, qui cum mortem conſanguineæ ſuæ deploraſſent, & iuuencula amicis omnibus valedixiſſet, à parente ſuo, eo quidem mortis genere, quod ipſa ſibi elegerat, laqueo nempe interfecta eſt. Sed & Nobilis ille, qui cum ea rem habuerat, licet factum primò conſtanter negaret, poſtea tamen certis rationibus conuictus, cum amicis & conſanguineis valedixiſſet, pugione à parente ſuo confoſſus pœnas commiſſi adulterii ſatis graues dedit.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0009-7

Univ. u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0010-8

## IV.

# DELINEATIO PROCESSIONIS REGINÆ PATANIENSIS.

*Ciuitas Patane à Regina quadam defuncti Regis vxore, cum Hollandi ibi eſſent, gubernabatur. Hæc ſi quando animi oblectandi gratia prodire in publicum conſtituit, Elephanti regium in morem ſplendide exornato inſidet, habetq́ ſecum gynæceum ſiue virgines ſuas pulcherrimè exornatas, Elephantib. ſimiliter inſidentes, nobilibus vero & ſatellitibus ſtipata, Elephantes aliquot ſecum ducit, arma defuncti ſui Regis geſtantes.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0011-4

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

## V.

# DELINEATIO VENATIONIS, QVA ELEPHANTES in PATANE capiuntur.

ELephantes apud Patanios alia quam apud Peguanos ratione capiuntur. Peguani enim Elephantes fœmellas iam cicuratas emittunt, quæ Elephantes ſylueſtres maſculos ad ſe inuitatos ſecum intra caſtra & cancellos traducunt. Hi autem populi Elephantes aliquot validos habent ad hunc vſum peculiariter adſuefactos, quibus venationi operam daturi inſident, atque ita in conſpectum ſylueſtrium feruntur, qui viſo cicurato, eum ſtatim aggrediuntur, & vires ſuas pugnando experiuntur. Interea vero dum ita luctantur, adſunt ſtatim, qui comprehenſos funiculo poſteriores eorum pedes tam vehementer conſtringant, vt in terram tandem procidant, vbi ita vincti & conſtricti detinentur, donec cicures facti cibum tandem aſſumant & ductorem ſuum ſequantur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0013-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0014-1

## VI.
## DELINEATIO ANNABONÆ AB HOLLANDIS expugnatæ.

*POſtquam Hollandi menſes ferè quatuor in mari oberrantes ad hanc tandem Inſulã appuliſſent, Scaphis ſuis aliquos in terrã ablegarunt, qui pro malis aliquot aureis & aqua potabili obtinendis tractationem cum incolis ſuſciperent. Antequam autem ad littus pertingerent, crebra tormentorum diſploſione ſe inde ab incolis, qui munimentum aliquod raptim mari obiecerant, prohiberi viderunt, itaque ad naues ſtatim, plures allatum ſocios, reuerſi ſunt. Interea incolæ in montana confugientes ædificia omnia vacua & deſolata reliquerunt, quibus poſtmodum igne vaſtatis, Hollandi quicquid inuenire fructuum poterant ſecum abduxerunt.*

VII. QVO-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0015-6

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0016-2

## VII.

# QVORVNDAM OB DELICTA SVA MISERE mutilatorum effigies.

SVpplicium à facinoroſis apud Achienſes ſumpturi, variè eos mutilare dicuntur, itaq; hic ſenem primo aliquem repræſentare voluimus, Regis Achienſis affinem, quem Rex ob delictum aliquod enorme, naribus auribusq́ue & ſuperiori labio mutilatum, in aula ſua ad dies vitæ ſuſtentat. Affirmabant aliqui Hollandis præſentibus, eum adhuc in viuis eſſe, ſed ob ætatem prodire rarius ſolere. Appoſuimus deinde aliquem manibus pedibusq́ue truncatum, quo quidem ſupplicij genere facinoroſi plerunque afficiuntur, qui ſi peracta mutilatione non ſtatim moriantur, ſed in viuis adhuc remaneant, ligatis ad brachia ſcipionibus, cruribus vero in arundines inſertis, vt aliis exemplo ſint, dimittuntur.

Adiecimus hic etiam Achienſis ciuitatis delineationem & ſitum.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0018-3

## VIII.

## DELINEATIO REGIS IN MATECALO HOLlandos in littore excipientis.

*EXhibuimus tibi hac imagine delineationem regii ad portum maris aduentus, vbi Rex in Matecalo Hollandos honorificè excepit, & varia cum eis locutus eſt. Erat ille indutus induſio goſſypino tenerrimo, tunica ſericea ad vmbilicum vſq; ſuperiniecta. Caput pileolo ſeu vitta ſericea tectus erat, pannoq; goſſypino circum femora inuolutus. Aures habebat vſq; adeo diductas, vt ad humeros vſq; pertingerent. Venerat autem cum eo nigromanticus ſiue præſtigiator quidam, qui à collo tabulam quandam quadratam æneam ſuſpenſam gerebat, circum corpus autem catenam ferream conuolutam habebat. Hic ad portum veniens, præſtigiis Hollandos variis oblectaturus, hincinde primum diſcurrebat, mox vocem terribilem edebat, exhibebatq; Hollandis tabulam ſuam æneā videndam, quæ varias Cacodæmonis repræſentabat effigies, tandem v. tranſacto qui ad catenam alligatus erat per partem femoris ſuperiorem cultello, catenam per foramen illud fere mediam traduxit, & ad ſuos iterum reuerſus eſt.*

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

# DELINEATIO TRAGOEDIÆ ILLIVS, QVA VICEADmiralis Sebaldus de Weert cum multis aliis trucidati occubuerunt.

*Poſtquam Viceadmiralis Sebaldus de VVeert cum ducentis ſociis, Regi de Cande ad littus maris proficiſcenti, in occurſum tendens, eum honorifice excepiſſet, Rex ſeſe benignum admodum & liberalem ei exhibuit. Cum vero varia inuicem locuti eſſent, & Viceadmiralis Regem, vti nauem ſuam ſecum aſcendere dignaretur rogaſſet, ipſe quidem id in aliud tempus reiecit, expetens à Viceadmirali, vt remiſſo ad naues populo, ipſe cum paucis miniſtris ſecum per noctem iſtam remaneret. Cæterum vix dimiſſo populo, Viceadmiralis, iubente ita & volente Rege, cum illis, quos aſſequi adhuc Regii ſatellites poterant, trucidati miſere & interfecti occubuerunt.*

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0022-5

*CVm Hollandi Achienſem aliquando Regem ſalutatum aduenïſſent, muneris loco tormentum aliquod æneum ei obtulerunt, qui in circuitu domus ſuæ conſiſtens deſuper cum Hollandis locutus eſt. Hollandi autem, vt in conſpectum Regis ventum eſt, complicatas manus fronti admouerunt, honorem more in iſtis regionibus vſitato ei exhibentes. Inde ad Regis filium pergentes, eum in loco quodam patentis admodum aulæ ſedentem, multisq; mulierculis ſtipatum depræhenderunt: Satellites enim præter mulieres nullos habebat, quæ etiam miniſteria ei varia præſtabant gladiis, iaculis, arcubusq; & ſclopis armatæ. Cum ergo Hollandi eum more ibi vſitato etiam ſalutaſſent, humi eos ſedere & appoſito ſtatim cibo laſſa ſua corpora reficere iuſsit.*

XI. DELI-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0023-1

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0024-6

## XI.

# DELINEATIO ADVENTVS HOLLANDORVM in terram PATANE.

*CVm non procul à portu Patanio Hollandi abeſſent, Regem quidem eius loci de ſuo aduentu certiorem faciendum omnino ſtatuerunt, addita admonitione, parant piper & aromata alia, vt quod ad mercaturam faceret, aduenientes ſtatim inuenirent. Rex igitur, his auditis, præcipuum ex proceribus ſuis cum duobus Elephantibus & ſubditis non paucis ad portum miſit, qui exceptos amice Hollandos ad vrbem porro perducerent atque comitarentur.*

XII. DELI-

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0026-8

XII.

## DELINEATIO CIVITATIS AMACAO.

*EXhibuimus tibi hac figura delineationem Chinenſium ciuitatis Amacao, ad quam vela facere Hollandi decreuerant. Cum autem ex viginti vel circiter perſonis quas exploratum ciuitatem miſerant, neminem ad ſe redire viderent, ex quo conditionem & ſtatum vrbis perdiſcere potuiſſent, ſententiam ſuam mutare & nauigationem alio dirigere coacti ſunt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0028-9

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0029-8

XIII.

# DELINEATIO PVGNÆ NAVALIS HOLLANDOrum cum Luſitanis in fluuio Batuſabar.

*EXhibemus tibi hac figura delineationem pugnæ naualis inter Hollandos & Luſitanos in fluuio Batuſabar habitæ, cuius explicationem ſic accipe.* A. *litera Viceadmiralem Hollandorum nomine Ziricze denotat.* B. *eſt ſepes Hollandica ab Enchhauſen.* C. *Celocem ab Amſtelrodamo notat.* D. *Nauis eſt Luſitanorum maior.* E. *Luſitanorũ nauis minor eſt.* F. *Triremes ſunt Luſitanicæ.* G. *ſunt nauigia Ioracenſia, quæ ſpectatum illam pugnam aduenerant.* H. *iterum Viceadmiralem Ziricze notat, pugnam extra fluuium Batuſabar ſecundo inſtituentem.* I. *Sepes Hollandica.* K. *vero Celox eſt ab Amſtelrodamo.* L. *ſimiliter Luſitanorum nauem maiorem.* M. *vero nauem minorem denotat.* N. *Triremes ſunt, cum quibus potentiſſimus Ioracenſium Rex aduenerat.* O. *vero Triremes ſunt & nauigia alia Luſitanica in fugam verſa.*




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0031-5

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0032-1

# DELINEATIO NAVIS LVSITANICÆ AB Hollandis expugnatæ.

EXhibet hæc figura particulam Inſulæ Moſambique cum Caſtello in ea ſito. Denotat autem victoriam Hollandorum ingentem Luſitanicam nauem expugnantium, cuius hiſtoriam ex poſtrema huius octaui tomi nauigatione lector cognoſcet. Hic autem literis quibuſdam explicata eſt, quarum A. Inſulam Moſambique, B. Caſtellum Luſitanorum nauis ſuæ defenſionem ſuſcipientium. C. Nauem ipſam Luſitanicam ab Hollandis oppugnatam. D. Hollandos nauem Luſitanicam aliquot Scaphis oppugnantes. E. vero Hollandorum naues denotant.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0033-6

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0034-2

*XV.*

# DELINEATIO FOEDERIS HOLLANDORVM cum Rege Calecutanorum pacti.

*POſtquam Hollandorum præfectus Stephanus ab Hagen ad oram Calecutenſium appuliſſet, & inſignem Regis Calecutani humanitatem cognouiſſet, viſum eſt ei omnino petitioni Regis ſatisfacere & ad Colloquium eius venire. Excenſione igitur cum ſuis facta, à Rege amice admodum exceptus eſt, qui acceptis ab Hollandis muneribus, perpetuum cum eis fœdus conſtituit, literisq; ne quid de eo impoſterum Hollandi dubitarent vtrinq; confirmatum voluit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0036-3

XVI.

# DELINEATIO CIVITATIS ET CASTELLI AMBOINAE.

*CVm Hollandi ad ciuitatem Amboinam appuliſſent, miſsis ad eos Gubernator duobus miniſtris percunctatus eſt, quam ob cauſam eo veniſſent, & quid ex Caſtello, cui ab Hiſpaniæ Rege præfectus datus eſſet, deſiderarent? Qui miſſos ſeſe à principe Mauritio Caſtellum illud expugnatum, profeſsi ſunt. Reſponſo igitur hoc ſtupefactus Gubernator, Caſtelli ipſis ſtatim deditionem fecit, hac tamen lege & conditione, vt omnibus, qui manere eo loco nollent, cum armis ſuis decedere permitteretur. Quam cum ratam haberent conditionem Hollandi, Caſtello hoc absq; vllo labore & pugna potiti ſunt.*

XVII. DELI-

Universitäts- u. Landesbibliothek (Saale) Halle

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0038-5

## XVII.

# DELINEATIO ADVENTVS HOLLANDORVM & Regis Ternatenſis ad Caſtellum Tidore.

VT ſucceßit Hollandis ad Amboinam conatus, fortunam ſuam vlterius experiri ſtatuerunt. Secundo igitur Maij Anno 1605. nauibus ſuis ad Tidorem appulerunt, quod Caſtellum etiam tandem expugnarunt, vt ex ſequenti quidem figura apparebit. Hic exhiqere tantum lectori voluimus delineationem aduentus Hollandorum, quomodo nimirum excenſione in terram facta, centum & quinquaginta numero, ad Caſtellum profecti ſint. Itaque litera L. Scaphas, quibus ad littus Hollandi aduecti ſunt denotat. M. nauigia ſunt, Regis Ternatenſis, qui cum quingentis fere auxilio Hollandis venerat, vt neceſſitate forſitan ita poſtulante eos iuuaret. N. Vicus eſt in parte ciuitatis ſeptentrionali, quem Hollandi iniecto igne deuaſtarunt. O. Rex Ternatenſis eſt, eiuſque in aciem diſpoſitus populus. P. & Q. Proceſſum Hollandorum Tidorem verſus notant. R. Locus eſt, vbi Ternatenſis Rex cum ſuis conſederat, oppugnationis exitum ſpectaturus. S. tandem litera munitionem denotat ex congeſtis terraque impletis doliis aduerſus Caſtellum raptim excitatam.

XVIII. DELI-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0040-5

XVIII.

# DELINEATIO EXPVGNATIONIS CASTELLI Tidorenſis & duarum nauium Luſitanicarum.

*EXhibet hæc figura ciuitatem Tidorenſem cum Caſtello & expugnatione eius ab Hollandis nuper facta. Literas adiectas ſic intellige.* A. *Denotat aduentum Hollandorum, quomodo nimirum in parte ciuitatis meridionali ad templum quoddam Indianorum peruenerint.* B. *Vicus eſt ab Hollandis igne accenſus.* C. C. *Sunt caſtra Luſitanorum ſiue Loricæ, ex quibus Luſitani multa tormentorum diſploſione aduerſus Hollandos ſeſe tuebantur.* D. *Naues ſunt ab Hollandis expugnatæ.* E. E. *Oppidum eſt ab Æthiopibus indigenis habitatum.* F. *Templum eſt Indianorum ſiue Æthiopum incolarum.* G. *Regis Tidorenſis palatium eſt.* H. H. *Ciuitas eſt ſiue locus Luſitanis habitatus.* I. *Templum eſt Luſitanorum.* K. *Caſtellum eſt Tidorenſe.* S. *Munitionem ex vaſis & doliis Caſtello obiectam denotat.* T. *Pugnam Hollandorum cum Luſitanis.* V. *Oppugnationem Caſtelli.* W. *Turrim lapideam, quæ cum 60. vel 70. Luſitanis ab accenſo tormentario puluere in aerem diſſipata eſt, oſtendit.* X. *Munimentum in altiſſimo monte excitatum, quo vxores & liberos ſuos Luſitani traduxerant.* Y. *Montes ſunt altiſſimi, in quibus aromata varia variæq; arbores creſcunt.* Z. *Nauis eſt Anglica ad Henricum Middelthonium pertinens.* A A. *vero duas naues Luſitanicas, quas Hollandi expugnatas accenderunt, denotant.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0042-6

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0043-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0044-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0045-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0046-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0047-4

Ob 3172
4°
(418.)
ULB Halle 3
004 304 462
sb.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0048-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0049-9

# ICONES
Seu
# GENVINÆ ET EX-
DELINEA-
M MEMORABILIVM,
NDIÆ ORIENTALIS PARTE
ulorum in Ternate, Patane, Cande
ceremonias, mores, habitus-
ulos ponentes,

*VDIO ET OPERA IN*
*arum rerum Lectori commu-*
*xhibitæque,*

*A*

ICO ET IOANNE ISRAE-
TRIBVS GERMANIS.

OFORTI,
Wolfgangi Richteri.
M. DC. VII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651679-p0050-0